

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2320

**Auteur(s)** : Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Troarn, Saint-Martin (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1115-1120]

**Action juridique** : donation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Charte de Henri Ier Beauclerc portant donation et confirmation à l'abbaye et au prieure troarnien du Désert de diverses églises, terres, rentes, etc., sises dans le Bocage virois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, n° VII, p. 366-367.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego, Henricus, rex Anglorum, pro salute anime mee et antecessorum et successorum meorum, dedi Sancto Martino Troarni et Sancte Marie celle et monachis ipsis servientibus, ecclesiam de Castro Vire, liberam ab omni potestate preter meam, et hoc quod ad eam pertinet, et decimam omnium reddituum ad idem castrum pertinencium. Rannulfus de Prateriis dedit Sancto Martino Troarni et monachis ejus, pro vita eterna capessenda, quicquid habebat in Mansiolo Berherii, videlicet ecclesiam et totam terram, et quod suum erat in ecclesia de Burceio, et quod habebat in ecclesia de Prateriis et dimidiam partem molendini ejusdem ville, et terram Hulcemanie, et unam masuram quam habebat in Caveignolis. Dedit eciam dimidiam ecclesiam de Mouscans, et landam que est sita juxta ecclesiam, et criptam Burnelli, cum duabus acris terre juxta pontem et masuram Avice, et decimam omnium molendinorum suorum et omnium pecorum, videlicet vitulorum, agnorum, hedorum, porcorum, caseorum et vellerum ; in lucis autem suis, dedit decimam de pasnagio et concessit porcos ire quietos in pastionem ; hec itaque ipse Rannulfus, pro salute sua ac sue conjugis atque patris et matris fratrisque sui Roberti scilicet eorum monachi, tunc nuper defuncti, necnon omnium parentum ejus, tam predecessorum quam futurorum, super altare Sancti Martini Troarni Deo obtulit ; ipsi etenim monachi unum annale pro anima domini ejus Hugonis comitis fecerunt, quia ipsius voluntate et consilio hec eis tribuit, pariterque eciam omnium beneficiorum suorum partem ei concesserunt, ea ratione ut ipsi possiderent quiete quicquid in heredum illius haberetur potestate. Deinde Alveredus de Combraio, nepos ejusdem Rannulfi, qui, post mortem ejus, heres rerum suarum effectus est, hec omnia concessit, et ipse super altare Sancti Martini Troarni coram pluribus testibus Deo obtulit. Dedit eciam anno MCXV, in dedicacione Sancte Marie celle, Deo et Sancto Martino perpetualiter decimam tocius panis qui fit de annona sua, et decimam tocius precii de frumento suo, si venditum fuerit. Radulfus, vicecomes de Castro Vire, dedit ecclesiam de Campegnolis, pro anima patris sui et matris sue et pro se ipso et uxore sua et parentibus, Sancto Martino Troarni et Sancte Marie celle, et totam decimam, tali pacto quod unus de filiis suis fieret monachus Troarni. Quod et factum est. Deinde Guillelmus, filius ejusdem Radulfi, venit Troarnum et concessit sancto Martino quicquid pater suus eidem sancto dederat et super altare Sancti Martini posuit. Hec omnia ego Ricardus comes dedi et confirmavi, nunc quoque dono et confirmo ut habeant et possideant predicta omnia que de feudo meo sunt, monachi Sancti Martini

Troarni et Sancte Marie celle, pro salute anime mee et pro anima patris mei et matris mee, et ut sim particeps omnium bonorum que in locis supradictis fiunt tam in orationibus quam in ceteris beneficiis, sicut unus ex ipsis. Guillelmus de Milleio, antequam fieret monachus, dedit Sancto Martino Troarni ecclesiam de Milleio cum xla acris terre et ecclesiam de Calvoloco et totum Lessarbois, et Robertus filius ejus concessit et de suo patre super altare Sancti Martini posuit. Rannulfus, filius Turstini de Prateriis, dedit Sancto Martino Troarni et Sancte Marie celle XXti acras terre, ipse et homines ejus. Ego Henricus, princeps Northmannorum, rex autem Anglorum, ista omnia concedo et hoc signo manus mee confirmo. Signum Ricardi, comitis Cestrensis.